

demum accepi desideratissimum opus, nec vidi umquam tam parvum librum ditiozem aurea doctrina . legi vesperi, nec potui per totam noctem dormire, quia somniarem de Tuis plantis tam pulchellis.

Characteres Tui novorum generum omnino optimi sunt et sufficientes pro distinguendis ab omnibus detectis generibus, attamen non possum non precibus devotissimis a Te petere characteres naturales omnium partium fructificationis, ut sint, absque dubio, dum nova in dies deteguntur. Et credo me reperire aliquas harum inter meas plantas siccas . juvant multum quae ad me in litteris misisti, sed tamen non ubique mihi satisfaciunt.

*Lecythin* Tuam nescio qui queam conciliare cum Loeflingii caractere.

*Petreae* capsulam quaeso describas quoad figuram.

*Kleinia* Tua annon *Porophyllum* sit?

*Justicia pulcherrima floribus tetrandris*, debet referri ad *Ruellias* vel etiam *Ruellia* genere conjungi cum *Justicia*.

*Utricularia* Tua *alpina* fol. integerrimis, ane *Pinguicula* sit?

Anne *Justicia monanthera* posset evadere distinctum genus?

*Terebinthi* trium nomen est unicum, quod optassem aliud, cum singulis in ideam revocet *Terebinthi* vulgaris ideam, quamvis ab aliis eo nomine proposita. Utinam haberem parvas descriptiones specierum, quales in plantis jamaicensibus, ut possem Tuas plantas dignoscere, certo dum viderem, ad minimum eas, quarum figurae nullibi exstant, e. g. *Hamelias* ambas video suo caractere, sed optarem scire quales essent arbores, quibus foliis. Excitasti appetitum et ardorem videndi ut gyretur cerebrum, nec possum satiari, nec spes est vivendi usque dum prodeat opus cum figuris, si velles subscriptiones habere, ego primus scriberem.

Maximo me affecisti honore quod ad meam methodum